# ORATIO
## IN FVNERE
# CLEMENTIS XII
## P. M.

*HABITA*

IN METROP. ECCLESIA NEAP.

AB ALEXIO SYMMACHO MAZOCHIO

*EIVSDEM ECCLESIAE CANONICO*

xvi. Kal. April. an. CIↃDCCXXXX.





# O R A T I O



I semper & ad omnes sanctiorum officiorum partes, Amplissimi Patres, vosque ceteri Auditores ornatissimi, Metropolitana Ecclesia signum sustulit universis: nunc quidem certe videri potuisset serius omnino, quam oportuit, lugubri apparatione funeris attrata prodire, serius CLEMENTI XII PONT. MAX. e vivis sublato parentare, ac serius denique ex hoc loco communis Parentis laudationem instituere: nisi opportune tacitis hujuscemodi vestrum cogitationibus jampridem magnus ille philosophus magni Basilii frater Nyssenus Gregorius occurrisset. Nam profecto quis mihi hoc officium non sero, sed tum, quum maxime decuit, persolutum defendenti crederet; nisi summus ille Auctor, qui esset tum hujus humanae, tum divinioris alterius philosophiae studiis innutritus, aliquando Placillam Aug. exstinctam laudaturus, hanc vocem usurpasset, ut diceret: (*) nullum aptius lugentibus remedium silentio diuturno exsistere; quo aestuans dolore animus interjecta longi temporis taciturnitate mitigetur. Nam si quis urente adhuc calamitate maturet auribus sermonem ingerere; nae is non aliud eo labore consequetur, nisi ut vulnus recens impressum mentione rerum acerbarum, sic quasi spinis lancinatum, recrudescat. At contra ubi id sensim coire jam ex medicina temporis coeperit, facile quod reliquum erit postmodum linimento orationis adhibito obducetur. Quo magis laudo consilium tuum, JOSEPHE Card. SPINELLE, qui, ipse ex tanto casu haud paullo commotior quam ceteri, tuis etiam, quo commoti minus ad hoc officium accederent, tempus ad exhauriendum dolorem constituisti. Quem postquam hodierno die aliqua saltem ex parte imminutum sentio; id nunc dabo



(*) S. Greg. Nyss. init. orat. in Placill. Aug.

operam, Auditores, ut ejus reliquias, si quae adhuc resident, quibuscumque modis possim, ac praesertim ejus, qui lugetur, propositis laudibus, abstergeam. Quotus enim quisque est, qui non intelligat, hanc qualemcumque orationem, non tam illius sive exornandi, sive ulla parte juvandi, quam nostri solandi gratia pertexi? propterea quod cum illo quidem praeclarissime actum scitis, quod vitam aerumnosissimam cum immortali commutavit; nobiscum vero infelicissime, qui tanto parente orbati relinquimur. Quo sane fit, minus mihi verendum esse, ne quas falsas illi laudes affingens, id illius auribus dare voluisse credar, quam ne ex veris ac solidis plurimas sive circumfusus copia praeteriisse, sive propter exilitatem ingenii, atque orationis infantiam obfuscasse reperiar. Tum illa quoque me cura metusque angit, nenon id quidem, cujus gratia sum huc progressus, & in quo hujus totius orationis caput esse dixi, pulchre teneam; propterea quod, quum, qui mederi vobis debeo, medica ipse ope indigeam, minime sim omnium ad medicinam faciendam accommodatus. Verumtamen accipite tandem, quibus ego rationibus adductus, vobis minime dolendum esse ducam; imo, si hoc quoque vultis, pro ea auctoritate ac persona, quam mihi in praesentia tribuistis, etiam praecipiam. Atque ut a trita illa consolandi ratione recedam, quam scimus a viris sapientissimis usurpatam, quum monerent (*) homines nos ut esse meminerimus, in id natos, fortunae ut telis omnibus propositi simus; nec esse recusandum, quo minus ea, qua nati sumus conditione vivamus; neve quos casus nullo consilio vitare possimus, gravius feramus; utque eventis aliorum memoria relegendis nihil novi nobis accidisse reputemus; & quorum plurium in eamdem sententiam plenae sunt veterum sapientum voces, plenae chartae: ut haec, inquam, nimis jam pervulgata praetermittam; ad illa saltem, quae propius ad hanc causam faciunt, quaeso vos, mecum animos cogitationesque convertite. Nam quid

est,

est, quod hoc tempore vos magnopere conturbat? aut quid sibi volunt illae lugentium naeniae: Heu communis Pater! heu Pastor! (*) *heu tristes Ecclesiae conventus* sine sacerdote! *consessus sacer coryphaeum requirit* ! *pueri patrem, senes aequalem, optimates principem, populus patronum ac praeceptorem, pauperes nutritorem desiderant* ! Haec quum pro se quisque lamenta editis; illius ne vicem doletis, qui ad plures abiit? Apage, Deus misericors! a tuis cultoribus hanc tantam amentiam, in iis etiam vix ferendam, qui, ut ait Divinus Apostolus, spem non habent. Nam cum illis bene & praeclare agi, qui consummato certamine ad coronam evolarint, Divina nos scita condocefaciunt. An vestra potius causa doletis, quippe iis praesidiis, quae ex vivo percipiebantur, orbati? At videte, ne turpe atque indecorum sit, in eo luctu, quem caritatis in illum causa suscepisse videri vultis, de vestro incommodo malle, quam de illius commodo commoveri. Tum illud quoque meminisse debetis, non donatum illum pontificem terris fuisse, sed commodatum. An est quisquam tam ineptus, qui quae precario & ad horae usuram concredita fuere, ea si mox repetantur, succenseat? Atque hoc quidem eam vim habet, ut etiamsi CLEMENS XII in flore ipso juventae vobis ereptus fuisset, nihil esset quod quisquam gravate ferret; quia sub hac conditione is natus esset. Nunc vero, Auditores, ecquem non dico Pontificum Rom. sed ex quovis ordine mihi potestis ostendere, cui vitam eousque producere datum fuerit, quantam certe ne *potentatibus* quidem olim Divinus Vates pollicebatur? Et indignabimur, si cedrus haec Libani (quod genus vivacissimum novimus) ex quo semel in paradiso Domini sata fuit, centum prope annos ad coalescendum, ad adolescendum, ad se confirmandum nacta, postremo in opus Sanctuarii caelestis, quo jampridem destinata fuerat, praecidatur? Aut vero succensebimus, si pomum, ubi probe maturuerit, nec ex-

 cussum,

(*) S.Basil.epist.ad Eccles. Neocaes.

cussum, nec avulsum, sed occulta vi senii atque maturitatis disjunctum sensim ab arbore dilabatur? Dicat heic mihi forsitan aliquis, vixisse CLEMENTEM ad aetatem quidem vel diutissime, at ad gloriam resque gerendas haud satis diu; qui si longius aetatem produxisset, aut si vero pontificatum citius nactus esset, multa utiliter ac praeclare gessisset. Atque heic, Auditores, adesse vos animis jubeo; est enim hic locus orationis meae longe mihi ad explicandum difficillimus, vobis multo ad audiendum jucundissimus; qui est de CLEMENTIS XII rebus gestis, numero tam multis, ut ne percensendo quidem satis numerari queant; magnitudine tam splendidis, ut quodlibet ex iis unum, hujus pontificatum satis illustrem & commendabilem praestitisset. Ac nolite per vestram fidem id a me exspectare, nulla ut a me res illius intacta praetereatur; qui satis sum habiturus, si, quae in mentem venerint, acervatim depromam. Ac multo etiam id minus a me debetis exigere, ut simul eadem amplificare dicendo, atque exornare coner. Quin id vos oro, ne meis ex dictis de illius virtute judicetis; sed contra ex his, quae perspecta vobis arbitror universis, meam orationem adjuvetis; quaeque in ea plura desiderabitis, ea ipsi vos ex praeteritorum memoria suppleatis. Ita haec laudatio sic collatis vestrum omnium operis perficietur; tamquam si ego, veluti in choro, cantionum initia praecinuero, vos deinceps reliqua succinatis. Ac principio tam confertim mihi se plura offerunt, atque, ut ab se ordiar, invitant, ut non minima haec me cura circumstet, unde potissimum initium orationi ducam. A domus ne Corsinae antiquitate & claritudine? Verum non committam, ut qui suis circumfluit laudibus, onerem alienis: nisi vero hoc ad illius decus pertinere volumus, quod ex splendidissima prosapia natus, multo plus lucis majoribus attulit, quam ab eis accepisset. An ab oris ac totius corporis dignitate; ex cujus aspectu imago honestatis ingenitae emicaret? A pueritia ne, quam sub providis educatoribus sancte atque innocen-

ter

ter in litteris rerumque praeclarissimarum cognitione traduxit? An a prima adolescentia, quam Pisanae Academiae laurea cohonestavit? An ab aditu primo ad Romanae Curiae dignitates, & illa in omne tempus memorabili praefectura aerarii, tam integre, tam populariter atque abstinenter ab eo gesta, ut etiam Cardinali contra mores prorogata diu fuerit? An demum a senatoria unius omnium in terris sanctissimi concilii purpura, quam mature illi ab acerrimo virorum aestimatore Clemente XI delatam meministis? Sane id si agerem, ut loco tumultuariae orationis annales hujus viri pertexerem; per omnes hos Laurentii Corsini gradus eunti, ampla se mihi seges offerret. Nunc abunde fuerit, si Corsino Laurentio laetioribus ingeniis ad scribendum proposito, haec mihi tantum spatia ad decurrendum definiam, ut de CLEMENTE solum quae potero depromam. Deum immortalem! quae fuit illius diei species, quo post quadrimestrem amplius Ecclesiae viduitatem CLEMENS XII Pont. Max. orbi insperanti processit! Quid nos tum prius gratulabamur? redditumne Ecclesiae Pastorem? disciplinae vindicem? afflictis perfugium? aegris solatium? universis parentem? an tamdiu id in Corsino dilatum, indignabamur? Cui vel pudentissimo non inauditae rei novitas verbum aliquod extudit gravius, debuisse CLEMENTEM, cetera unum omnium dignissimum, saltem ante decennium clavum arripere; si quidem eo gubernante vectores salvi esse vellemus? Et quae plura tunc de Corsino honorifica, at de aetate parum aequa rei miraculum exprimebat. At o praecipites hominum sententias, & judiciorum temeritatem! Tunc enim primum nostro huic saeculo ostensum fuit, quam non modo non adversa, verum etiam opportuna ad omnes partes atque utilitates senectus esset; in iis quidem certe, qui non ad hujus aevi, nec aurei jam nec aerei, sed prope dicam lutei, effigiem formati essent; sed concreti ad imaginem heroicorum temporum, heroica orbi facinora edituri procederent. Nam eccui pro-

fecto umquam ea ſuſpicio ſubiiſſet, hunc ab octogeſimo ſuae vitae anno, quem rari Pontificum morientes attigerunt, ineuntem pontificatum, ad nonageſimum vitam fuiſſe producturum? hanc vero non ad requietem & inertiam compoſiturum, ſed ad curas, labores, ſollicitudines, dimicationes? Qui quo primum veſtigio temporis adſedit ad gubernacula, ſumma ſtatim alacritate ita rei totius publicae Chriſtianaeque rationes ordinavit, non quaſi ex improviſo pontificatus incidiſſet nec opinanti; ſed quaſi ſe ad eum per plures annos comparaſſet; & ad eum ex compacto totum rei gerendae ordinem ac rationem meditatam attuliſſet. Quid enim? deſignandi ne ſui Apoſtolici regni miniſtri atque adjutores fuerunt? optimos, ſtrenuiſſimos, lectiſſimos deſignavit. Suboleſcentium vitiorum propago avellenda? ab radicibus imis avulſit pleraque, ſtirpes infeliciſſimas in agro Domini jugiter repullulantes ferro flammaque eſt perſecutus; Hydram ſeptemplicem Herculea virtute ſuperavit. Legibus ne obſequium, magiſtratibus reverentia, ſeveritas judiciis, rebus Divinis religio, templis nitor, ſacerdotio dignitas afferenda? haec & plura citius perfecit, quam diceres: ac veluti ſol ubi primum terris illuxit, uno ſimul tempore & detergit caliginem, & totum jubar affundit, ſuaque luce ſimul omnia colluſtrat; ſic admirandus vir ille uno tempore in omnes ſimul partes vim ſui Apoſtolatus exſeruit. Quaerat ex me forſitan aliquis, ecqua illum vi ingenii prope divina, ecqua celeritate conſilii praeditum fuiſſe, putandum ſit; qui tot res atque tantas unus uno tempore viderit: tum ecqua alacritate; qui eaſdem ſimul conceptas, ſimul etiam perfecerit? At equidem nego Auditores, hunc ſolum ac ſibi relictum ea & vidiſſe & perfeciſſe. Jam tum enim, quum in Cathedra beatiſſimi Petri conſedit, quas habuerat ſemper amicas ac familiares, juſtitiam, religionem, miſericordiam, fortitudinem, magnanimitatem, eaſdem ſibi adminiſtras adjunxit, & in imperii ſacroſancti ſocietatem adſcivit. Has in conſilium perque

no-

noctes perque dies adhibebat: harum comitatu stipatus in Cathedra, in consistorio, in cubiculo versabatur: cum his una pernoctabat, sermocinabatur, convivabatur. Eisdem ad aures insusurrantibus jus dicebat, leges pulcherrimas, edicta salutaria promulgabat: in harum sinum se totum tradidit: ad harum praecepta se conformavit. .. Itaque nolite quaeso percontando obtundere, quis apud CLEMENTEM plus auctoritate, plus gratia valuerit; ecqui primae, qui secundae tertiaeve admissionis, ut olim apud Caesares, amici fuerint: haud alios facile reperietis, quam quas modo nominavi matronas lectissimas, pietatem, constantiam, aequitatem, animi celsitudinem, & quae plures hujus generis latus illius comites assiduae sepiebant. Percurrite, quaeso vos, animo sanctiones hujus principis saluberrimas adversus Episcopatuum suburbicariorum translationes, adversus depeculatores aerarii, de coercendo luxu, de commercio, de annona, de Vaticana bibliotheca, de Syrorum, Coptorum, Melchitarum, Abissinorum monasticis institutis, de Comitiis pontificiis, illamque imprimis celeberrimam de sicariis, quam parricidiorum, scelerumque everriculum jure appellabimus: has atque plures ubi vobiscum reputaveritis, facile intelligetis, non unam Aegeriam huic Numae alteri consiliariam adstitisse. At enim quid in eo magni est aut eximii, si leges sanctissimas tulerit; nisi porro idem, in quo rei caput est, res praeclarissimas egerit? Verum CLEMENTIS opera, Auditores, exposita sunt oculis omnium. Urbem paullisper oculis ac mente lustrate: ecquam urbis partem invenietis, in qua non templa, basilicas, sacella, valetudinaria, monasteria, bibliothecas, collegia hujus unius infinita vi pecuniae partim a fundamentis erecta, partim ampliata, exornata, restituta, ditata reperietis? Testis mihi sit illa Christiani Orbis Ecclesiarum mater ac princeps Lateranensis basilica; quae per tot retroacta saecula situ paene ac squalore obsita, hujus inaudita magnificentia nunc demum parem dignitati

suae

ſuae majeſtatem adepta, explicata pulcherrima fronte ſeſe commendat praetereuntibus : ingreſſis autem qua porticum nobiliſſimam, qua Andreae Corſini operis admirandi ditiſſimam Cellam oſtentat, unde oculos vix queas avellere. Teſtis Quirinale palatium, tum aedium Apoſtolicae familiae acceſſione, tum Conſultationis dicaſterio auctius effectum. Teſtis lumen illud Orbis terrarum Vaticana bibliotheca ( nam nunc quidem de privata Laurentii Corſini inſtructiſſima, Muſarum olim & artium cultorum portu ac perfugio mitto dicere ) verumtamen teſtis Vaticana bibliotheca, in quam quum nemo ferme ſuperiorum pontificum non ſymbolam pro ſe quiſque contulerit; hic non imi lecti conviva contulit longe uberrimam : nam novo ingentis aulae auctu laxatam plurimis qua editis, qua ſcriptis plurium linguarum codicibus praeſtantiſſimis locupletavit: ut jure bibliotheca illa dici Apoſtolica mereatur, quando ei variis linguis Divina praeconia edere datum fuit. Eodem & Aegyptiacas papyros convexit : eodem vaſa Etruſca pulcherrimi operis : eodem Regum, Caeſarum, populorum rariſſimos maximi moduli nummos, numero trecentos undetriginta ( ecquis vero, Auditores, in ullo Europae theſauro tot ſimul maxima numiſmata, aut tam eximia vidit? ) plus trecentos inquam maximae formae nummos, circulis affabre inſertos; in quibus ſumma antiquitas cum quaſi recenti integritate decertat: eodem ſacram atque profanam plurimam gazam congeſſit, qua tamquam Aegypti ſpoliis hic novus Aaron Dei tabernaculum exornavit. Teſtis Capitolium, in quod coegit vim infinitam ſignorum veterum pulcherrimorum magno coemptam, atque hunc immenſum ſtatuarum populum in novam veluti coloniam ( Capitolinam ne dixerim an Clementinam? ) tranſcripſit; ubi frequens illa mutorum propemodum civitas Romanam magnitudinem eloqui numquam deſineret. Nam litteratos lapides, auro contra non caros, conſulatuum, numinum, magiſtratuum, ſacrorum, rerum domi militiaeque non vulgarium

rium

rium, ac totius testes antiquitatis aeternos (quos ab interitu vindicatos ibidem tuta in statione reposuit) tacere praestat, quam parum grate commemorare. Jam vero testis sit Aqua Virgo, quae antea neglectior, quam pro benigna venae saluberrimae copia, ab hoc repurgata, ac mirando opere est exornata. Testis Constantini arcus triumphalis, aeternum Christianae de Maxentio victoriae tropaeum, aeternum CHRISTI potentiae monumentum; quem in situ ac squalore jacentem CLEMENS detersit, restituit, resarcivit. Testem vero te, Urbs septicollis appello, vosque urbis quatuordecim regiones, hujus unius incredibili munificentia tum templis innumeris, tum viis, porticibus, salientibus, & omnis generis ornamentis signatae atque distinctae: vere ut hoc mihi videar esse dicturus, hunc imperii Christiani tamquam Augustum Octavianum, urbem, quam magna ex parte lateritiam accepit, marmoream reliquisse; ac nunc demum *urbem aeternam* dici posse, quae ejus beneficio spiritum ac vitam numquam intermorituram accepit. At non unius urbis finibus se CLEMENTIS magnificentia tenuit, sed tamquam regius amnis longe lateque ruptis objicibus exundavit. Per te, Pontifex admirabilis, Ravennae (cui modo, non unus, ut olim Neocaesareae sub Thaumaturgo, Lycus exitialem alluvionem, alluvio & agris maciem & aëri gravitatem pariebat) per novum regii plane operis alveum Bedesi & Vtente amnibus ire jussis, & campis felicitas, & caelo salubritas rediit. Per te Anconae portus, jactis in altum molibus, in proximi Ravennatis, olim sub Caesaribus nobilis, famam & celebritatem successit. Per Te infantium projectorum collegia toto ferme Pontificio in imperio sunt constabilita, creato extra ordinem praefecto ejus rei gratia viro strenuissimo: ut quam laudem misere mortalium ceteri ab assentatorum gregibus aucupantur, hanc Tu solidissimam ex ore infantium & lactentium, per Te ex orci faucibus ereptorum, merito expresseris. Ecquis vero non posset

Tibi

Tibi Hadriani Aug. elogium adtexere ? quem litteris proditum exstat (*) *in omnibus paene urbibus aliquid aedificasse*, & *opera ubique infinita fecisse* : nisi putidum esset a profanis principibus corrogare nomina & titulos ; praesertim quum ea gloriolae isti illecebris capti fecerint, quae Tu nimirum ad unius Dei gloriam, cui Te semper devoveras, unice referebas. Et haec quidem, Auditores, quae dixi hactenus, regni Pontificii fines non excedunt: age illa videamus, quo pacto remotissimas quasque nationes, quarum vix antea nomen audieramus, ultro beneficiis adierit, ad easque non dominandi, sed bene merendi, sed docendi, sed ligandi atque solvendi vere pontificia jura porrexerit. Atque ut a vicinioribus ordiar : quis vestrum ignorat, quae antehac inscitiae caligo, quae errorum vitiorumque colluvies per illam olim clarissimam Majoris Graeciae oram tum apud Graecos, tum apud illos Epirotarum colonos Albanenses grassaretur ? Tantum Ecclesiae vulnus paterna illius clementia non sustinuit: ad Montaltum in Brutiis erexit dotavitque collegium, ubi pueri Graecorum ad litteras, pietatem, puramque religionem informarentur. Saxoniae populos ex Luterianae pestis afflatu jampridem a caula aberrantes quo in ovile CHRISTI reduceret, qua cohortando, qua pecunias ex bonis Ecclesiae redactas remittendo, nihil sibi reliquum fecit. Neapolitanos vero quo piaculo praeterieram ? de quibus multis nominibus optime meritus, in primis vero quod nobis JOSEPHVM Card. SPINELLVM ( qualem virum, Auditores & quantum ! ) antistitem dederit, etiam ad Metropolitanam Basilicam exornandam subsidia contulit non vulgaria. Nec vero his tantum finibus tua se providentia continuit, Pater. Viri ut Apostolici ad Indos & ultimos terrarum Seres, & quo non ? mitterentur, nervos omnes intendisti ; ejusque rei gratia Propagandae fidei collegio plus vicies sestertium dono dedisti. Coptos, Aethiopes, Melchitas Monachos paterna caritate excepisti ; ac, ne Romae Thebai-

(*) Spartianus in Hadriano.

baidem quisquam aut Nitriam desideraret, aedes eisdem & lautia in perpetuum praebuisti. Syrophoenicem universam, quum a patriae disciplinae severitate descivisset, misso illuc viro & orientalis litteraturae & sacrae antiquitatis callentissimo, summa cum potestate extra ordinem legato, perque hunc coacto Beryti nationis concilio, in officio continuisti. Jam vero haec atque plura alienissimo ac difficillimo reip. tempore, armis undique in Europa, in Italia, in ipso Pontificio regno perstrepentibus, CLEMENS, fecisti; quid porro facturus, si pax alma citius os suum terris exseruisset? te interim maximo semper apud Catholicos principes pacis auctore, cohortatore, ac sequestro; cujus consilia numquam aliud, nisi pacem, nisi pacis artes spectarunt. Nam pacis alumnas litteras quanto opere foveris, juveris, ornaveris, & longum sit enarrare; & me tacente complures academiae, quae vel auctore te vel sodale gloriantur; immensa operum volumina, suasore te, & sub tuis auspiciis evulgata; typographia Vaticana ad Orientalium librorum editionem a te maximis auctibus amplificata; universi litterarum cultores sub te tum Cardinale, tum Pont. Max. tamquam sub Maecenate altero, spiritum ducentes testificantur. Quid architectonice? Quid statuaria & pictura? Quid tessellata opera illa, nunc quum maxime perquam scitissime picturata? Quid tot aliae artes pulcherrimae? nonne summopere a te promotae omnes, ac multis partibus illustriores effectae, quam eas accepisses? Quid chalcographia? quanti hoc tibi stetit, ut diu intermortuam, populo Quiritium sisteres redivivam? tum quanti, ut tuâ illam providentiâ tuisque impendiis plane immortalem in omne secuturum tempus efficeres? Magnum hoc, Auditores, est, atque haud scio an incredibile, unum hominem tot atque tantis operibus, tum numero, tum genere admirabilibus atque ingentibus suffecisse: tum majus id etiam, quod brevi tempore, simul a se meditata, inchoaverit perfeceritque: at illud longe maximum, planeque inauditum; quod haec, &

quae

quae plura de CLEMENTE loquentur hiſtoriae, & aetate devexa, & afflicta valetudine, nec raro decumbens, eniti & conari potuerit. Cum quonam enim heroicorum temporum te, Pater, ac virtutem conferam tuam? Nam & fabuloſus Hercules ille, Neſſi cruore delibutus, animo & viribus concidit. Te vero nihilne vigiliae, nihil ſtomachi languor, nihilne acerbiſſimi pedum dolores, qui corpuſculum, ſic quaſi aedificium, ex imis baſibus concutiebant, de gradu celſiſſimae mentis dejicere potuerunt? jamne videtis, Auditores, quod ille ajebat, caput imperare, non pedes? Tum nihilne horum umquam a ſemel inita vitae ratione removit? Idem ſemper actuum in orbem redeuntium curſus: eadem ad formidandi miniſterii penſum alacritas: eadem horis omnibus ſui conveniendi, alloquendi, ſecum expoſtulandi poteſtas imis aeque ac ſummis fiebat; quos ſine ullo diſcrimine omnes auſcultabat, complectebatur, fovebat, aut futuros voti compotes, aut repulſam ipſam in lucro poſituros: nullo non tempore commodus, comis, benignus ad extremum uſque ſpiritum, ſolitus dicere, imperatorem ſtantem mori oportere. Jamque animadvertitis, Auditores, ultimum vitae illi, mihi orationis, actum inſtare: quem locum ſolent funebrium laudationum artifices ſedulo refugere, & tamquam Syrtim aut Maleae ſinum artificioſa orationis declinatione devitare. Mihi contra nihil videtur eſſe, in quo aeque oratio mea triumphatura eſſe videatur. Qualis enim & quanta ſpecies ultimorum dierum fuit, quum novus hic Iſaac, oculis prae ſenio caligantibus, filiorum corona ſtipatus decumberet! Obſerabantur ei jam ad figuram hujus ſaeculi lumina; dum interim ad immortalitatem patefierent, in cujus limen greſſum jam inferebat. Quem putatis, Auditores, in ipſo vitae mortiſque confinio primum obvium habuiſſe, niſi beatiſſimum Andream Corſinum gentilem ſuum? quem vivus tanto opere exornavit; in cujus natali die, ſic quaſi de abitione commonitus, ad iter ſe

com-